

VIII. Cur ait Dominus : Antequam Abraham fieret, ego sum? Respondeo, ut indicaret Abrahamum creaturam Dei, se vero Deum creatorem esse, Dei enim nomen est; *Ego sum*, Ex. III. quia Deus semper idem esse habet; nihilque ei præteritum aut futurum est, sed omnia sunt præsentia. Poterant ergo Judæi ex hac sola voce animadvertere Christum esse Deum, nisi malitia cæcati fuissent.

IX. Cur lapidare Christum Judæi voluerunt? Resp. quia existimabant eum blasphemasse, cum dixit : *Antequam Abraham fieret, ego sum*, quasi his verbis sibi vindicaret æternitatem, adeoque divinitatem. Lapidari vero jussit blasphemus, Levit. XXIV. quod et ipsi suis blasphemis quasi lapidibus Deum impetant.

Mystico sensu, recte ad lapides currunt *tamquam sui similes*, inquit Sanctus Augustinus, tract. XLIII. in Joann. quia lapideum cor gerebant. Multum ac diu disputavit Dominus cum Judæis in toto illo capite Joannis octavo, verum sicut pluvia lapides non emollit; ita Christi verbum minime penetrare vel emollire potuit Judæos, qui inde etiam duriores et pejores facti sunt, ut ex eo patet, quod concionanti Christo : *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*, respondent : *Nunc cognovimus, quia dæmonium habes*. « Sicut enim bonis (inquit D. Gregorius, hom. XVIII. in evang.) necesse est, ut meliores etiam per contumelias existant; ita semper reprobi de beneficio pejores fiunt, nam accepta prædicatione iterum

dicunt : Nunc cognoscimus, quia dæmonium habes, etc. »

X. Quomodo Christus se abscondit? Resp. Humano et naturali modo, sive fugiendo, ut indicant Augustinus et Chrysostomus, sive abscondendo se in aliquo templi recessu. Scivit enim Dominus varios et plurimos evadendi modos, quomodo Herodem olim fugit, tametsi nullum faceret miraculum. Unde minus probabile est, quod volunt Theophylactus, Euthymius, et Cajetanus, fecisse eum se invisibilem. Hoc enim non est proprie se abscondere, nec voluit Dominus miracula suæ defensionis gratia facere, neque occasionem Judæis dare, ut videretur eis magus esse.

Sed cur abscondit se, qui poterat eos coercere et uno verbo prosternere, ut cohortem in Oliveto, vel ejicere de templo, ut aliquando eementes et vendentes. Resp. ad supplicium Judæorum, qui ob suam pertinaciam digni non erant salutaris correctione, mereantur Christo omnino destitui. Idcirco ab iis se abscondit Christus, et exit de templo; quo modo ludimoderator, cum advertit se in discipulorum informatione operam ludere, non castigat eos amplius, sed exit de schola et deserit eos. Exivit a Judæis Christus et transit ad gentes. Nos ergo, auditores, attendamus nobis, ne ob similia peccata nostra deserat nos Christus et migret ad orbem alium, adeoque sol cælestis auferat a nobis lumen fidei, et relinquat nobis tenebras hæresum et ignorantiae; quod a nobis ipse clementer avertat.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

I. Cura et negotia sæcularia. — II. Procrastinatio. — III. Difficultas confitendi. — IV. Fuga peritorum confessoriorum. — V. Desperatio emendationis.

THEMA.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Joan. VIII.

Non injuria dicet mihi aliquis vidisse nos quidem per hanc quadragesimam bestias complures, quibuscum in solitudine sua Christus conversatus sit : omissam tamen unam, eamque omnium maximam, satanam videlicet, qui et ipse in deserto cum Christo versatus est, quasi esurienti panem ministraturus, ex lapidibus vel

uno verbo conficiendum. Verum est, auditores, recte monetis : hujus enim bestiae pene oblitus fuisset, quæ etiam in sacra Scriptura (Job XL.) appellatur *Behemoth*, hoc est, *bestia bestiarum*, seu, ut alii vertunt, elephas, quadrupedum bestiarum maxima. Verum hæc non eodem fine, quo aliæ ad Christum in desertum venit. Illæ enim ut eum recrearent : hæc ut tentaret et in præcipitium ageret, venit. Quod egit tunc in sua persona, hoc agit in hodierno evangelio in persona Judæorum, quos haud dubie impulit, ut arriperent lapides ad Christum lapidandum. Id quod etiam nunc molitur volentibus converti hoc sacro tempore. Tollit enim lapides et minatur eis atrociam quæque, quo magis ipsi conantur ab ejus laqueis se expedire. Sed quemadmodum

Judæorum lapides tenti sunt a Christo, ita tenebuntur etiam molimina illius Behemoth. Quare ut ne terreamur, eorum aliquos saltem videamus.

I. Quosdam nequiter opprimit curis et negotiis sæcularibus, ne animæ salutem procurent : sicut conturbavit et elisit in terram puerum illum, cum se expellendum cerneret a Christo, Marci IX. Imitatur in hac re astum caneri marini, qui videns ostrea se expandere et aperire ad capiendum solem, lapillum inter conchas inserit, ut cum volunt se claudere, nequeant; sicque carnes eorum exsugat ac devoret, ut scribit S. Ambr. l. V. hexam. c. VIII. Ita enim dæmon, in quam plurimis, qui mundanis curis cor apertum habent, hoc potissimum tempore impedimentum aliquod ponit, velut inimicitiam, lites, itinera, etc. ne cor suum mundo claudere et in Deum colligere, ac pœnitentia et communione paschali instaurare queant : sicque eos devorat; in peccatum inobediendiæ pertrahendo, eorumque spiritum cœlesti gratia privando. Typum ejus expressit Laban, Gen. XXI. qui cum audisset Jacob generum suum post viginti annorum servitium, clanculum abiisse, (ut nimirum provideret aliquando domui suæ, Gen. XXX.) fugientem insecutus est, et graviter objurgare cepit. Idem enim prorsus agit tempore hoc satan : confugiens ad pœnitentiam, et a se refugientes retrahere conatur. Tu vero, Christiane, ne movearis dæmonis insidiis, sed cum Jacob prosequere iter tuum et provide domui tuæ. Sic suadet Ecclesiasticus, c. XXX. *Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine : congrega cor tuum in sanctitate ejus*. Totum fere annum corpori impendis, nunc saltem miserere animæ tuæ et contine te a curis mundi; congrega ad Deum et pietatem cor dispersum in rebus sæcularibus, quomodo pii viri per sacros dies in se solitudinem cordis recipiunt et negotiis sæcularibus abdicant.

II. Aliis remoras injicit, sed de mense in mensem, de die in diem eos differendo. Imitatur in hoc vulpanserem, qui, ut scribit Plinius, lib. XX. hierogl. vana spe aucupem decipit, ne is nidum pullorum inveniat : offert se ei quasi mox comprehendendus, donec eum a nido abducat. Sic agere nobiscum dæmonem, rapiendo sibi hodiernum diem et crastinum Deo promittendo scribit S. Basilius, or. IV. de pœnitentia additque : « Ejusemodi ergo aliquando vidi astum volueris valde vafra, quæ seipsam venatoribus, cum ejus pulli facile ob teneritudinem capi possunt, quasi prædam quamdam paratam objiciebat, et ante manus eorum assidue versando, neque se capi permittebat, neque tamen prædæ spem venato-

ribus adimebat, sed ipsos vana spe varie lactans, dum circa ipsam occupantur, pullis fugæ copiam ac securitatem præstitit, deinde ad extremum etiam ipsa simul avolavit. Cave, obsecro, ne etiam et tu similia perpetraris, qui spe incertorum, ea quæ certa sunt, dimittis. Vide ne ex anno in annum, ex mense in mensem, ex die in diem pœnitentiam producendo, incurras aliquando in diem quam non expectabas, nimirum quando te deficiet vita, et consilii inopia omni ex parte te circumdabit, etc. » Talis in consiliis suis Sigismundus secundus Poloniae rex, qui omnia consilia, negotia gravissima in crastinum defererebat, idcirco *rex crastinus* appellatus, proinde vix unquam aliquid expediebat. Drex. in prodromo, c. I. § XXXVII.

At quodam gravius negotium esse potest negotio animæ? Hoc ergo si differas in crastinum, certo fabula et ludibrium eris dæmonibus ac damnatis omnibus. Naufragus proximam quamque tabulam mox amplectitur, ut emergat, pœnitentia secunda post naufragium tabula est : quando igitur de salute tua agitur, mox illam arripito, nemine attento.

III. Alios terret difficultate confessionis, efficitque ut ea obiter et neglectim fiat : vel suadet ut differatur ad ultimum diem dum populus confertus obruit confessarios, urgetque ut confitentes cite expediantur. Sed quid ait Jeremias, capite XLVIII. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter* (seu ut Septuaginta legunt) *negligenter*. Non ferunt matres familias, si ancillæ domum verrere jussæ, obiter rem faciant, si non omnia rimentur, si nihil moveant, veluti mensas, cistas, etc. et insuper sordes infra lectum abscondant, imo deprehensas in tali negligentia objurgant aut ejiciunt. Sic objurgatur pigra anima, Isa. XXIII. *Sume citharam, circui civitatem meretricis oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum*. Meretrix quid nisi anima peccatrix sui ipsius oblita? Sumat ergo citharam confessionis, seipsam accusando, et sic Deum sibi demulceat atque conciliet : quomodo etiam apud Lacedæmonios deprehensi in delicto aram circumire et compositam in seipsos vituperationis cantilenam decantare cogebantur, teste Plut. in Laconicis. Verum non frigide aut obiter canat, sed bene et exacte circumeat civitatem, rimetur omnes angulos, in quibus deliquit, sicque omnes lapsus suos decantet ad tribunal Christi.

Non vis emere aut acceptare opus ab artifice factum, nisi bene et studiose factum; et quomodo accipiet Deus tuam pœnitentiam tam frivole et obiter peractam? « Audio, inquit Ælianus, lib. IV. var. hist. Legem esse Thebis præci-

piem artificibus, tum pictoribus tum figulis, ut imaginum formas quoad possent, optime exprimerent: iis autem omnibus, qui deterius aut fixissent aut pinxissent, pro pœna multam pecuniariam irrogantem. » Quanto magis pœnam merebitur, qui Deo opus fraudulentè aut negligenter fecerit, suamque ipsius animam, multo adhibito studio, nulla cura pingit et fingit.

IV. Aliis prohibet ruerere prudentes, graves et doctos confessarios; suadet adire simplices et liberales, qui sine trutina examinis omnia mox condonant. Sic ab eo edocti erant, qui dicebant, Isa. XXX. *Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores*, ac si dicant febricitantes: Date nobis vinum potens, nolimus aquam coctam, suum interitum quaerentes. Qualis Achab qui urbem expugnaturus noluit consulere prophetam Dei veri Michæam, dicens: *Ego odi eum qui non prophetat mihi bonum, sed malum*, III. Reg. XXII. *Malum*, hoc est ingratum, licet verum. Qui tamen quam male sibi consuluerit, brevi expertus est; quia ut ei prædixerat Michæas, in bello infeliciter occubuit. Similem aut tristiorem eventum recensuit quidam pater N. S. coram serenissimo Alberto et Isabella Bruxellis pro concione ex relatione nostri patris Lorini de quodam fœneratore, quem Lorinus in Italia norat, eo nomine insani, qui eum diu neque a curione neque a nostræ societatis patribus aliisque multis religiosis absolutionem impetrare posset, invenit unum aliquem, qui alios nimis religionis incusans, quoties ille vellet, toties confitentis aures daret et absolveret. Fuit hic impio fœneratori conscientiam acceptus arbiter, quem ut eo etiam haberet benigniorem, sæpe ad familiarem mensam invitabat et habebat liberaliter. Dum ergo ita vivitur, nocte quadam nobilis ille cum paulo ante cum egregio suo confessario cœnasset, subito extinguitur: sub idem autem tempus dæmones duo, famulorum habitu, monasterio adsunt, pulsatisque foribus religiosum evocant astiturum agenti, ut credebant, animam. Non est ille tergiversatus, sequitur cum socio non segniter. Ventum erat ad forum; et ecce cernitur nobilis in herili toga ambulare, cumque religiosus jam in famulos, quod ab iis delusum se crederet, bilem acueret, adest tristis umbra, atque inter mortuos se esse et jam æternis uri ignibus, quod tam turpi in vita deditus lucro sacra toties profanare ausus esset. *Et te quidem*, ait, *sacerdos perditissime, a quo ex officio corripiendus essem connivente: quapropter eris mihi merito tuo pœnæ socius, qui sceleris fuisti approbator*. Hoc dicto, duo illi ficto habitu famuli, singuli singulos nobilem ac sacer-

dotem secum ad inferos abripiunt: sacerdotis socio præ timore pene exanimato, qui deinde revocato animo solum ad monasterium rediit, et funestum sacerdotis exitum remque totam, ut gesta erat, enarravit. Ita Philip. Doultramam, in pædag. christ. p. II. c. XV. § I. Quare bene Eccl. c. VI. ait: *Consiliarius sit tibi unus de mille*. Quis autem magis consiliarius quam confessarius? Quia vero non omnes sunt charitate, doctrina et prudentia instructi, ideo caute eligendi, nam si vel unum ex requisitis illis desideretur, res periculo non caret. Quare sapientissime S. Ludovicus, Galliarum rex, hoc supremum e vita migraturus filio consilium dedit: *Fac idoneus tibi sit conscientiam arbiter, cujus prudentia, doctrinaque in omnibus semper tutus sis*, Pædag. ibid.

V. Alios omnino ingenti lapide desperationis opprimere conatur; quasi nulla sit spes eos erigendi ad salutem. Sicut enim tibicines illi, Matt. IX. plangebant (interim gratulabantur sibi ob lucrum) mortem filiae Jairi, suisque cantibus illam quasi sepeliebant, ac *Requiem* cantabant, dicentes esse mortuam; irridentes insuper Christum, qui aiebat eam dormire: ita dæmones, desperationis laqueo injecto, conantur peccatores inveteratos omnino suffocare, conclamando certam eorum damnationem. Fecerunt hoc Judæ proditori, cui initio facile suaserunt prodicionem, postea exaggerarunt, et omnes ei veniæ januas occluserunt, ut neque apud principes, neque in templo effugium inveniret: ad Christum vero cum accedere erubesceret, inde ad laqueum currit. Eo modo et Dalila Samsoni facile persuasit, ut in ejus sinu obdormiret: ubi eum tondit et viribus spoliavit, repulit a se, eique insultavit: *Philistim super te Samson*, Jud. XVI. Hic est ludus, quem ludunt cum peccatoribus dæmones. Sed respondendum illum cum Christo: *Recedite, non est mortua puella, sed dormit*. Si nobis mortua est, dormit tamen Christo; mox eam suscitare potest.

Quid igitur ad extremum factu opus inter has lapidum minas? Imitare Christum et abscondete; ubi vero nisi in vulneribus Christi? *Veni, columba mea, in foraminibus petrae*, ait sponsus Christus, Cant. II. q. d. Absconde te a tartareo accipitre in meis vulneribus et meritis passionis meæ. Denique ne terreamur his lapidum minis: minari nobis dæmon potest, jaculari non potest, nisi Deo permittente.

CONCIO II.

DIES CHRISTI, DIE PASSIONIS EJUS.

I. Quia dies desponsationis ejus. — II. Quia dies redemptionis generis humani. — III. Quia dies commotionum, qua cœlum et terram movit. — IV. Quia dies ostensionis, qua divinitatem suam ostendit. — V. Quia dies prælii ejus cum mundi hujus principe. — VI. Quia dies victoriae ejus.

THEMA.

Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum. Joan. VIII.

Communis multorum patrum sententia est, Christum Dominum quando in hodierno evangelio dixit Abrahamum exultasse, ut videret diem ipsius, de die passionis suæ locutum; quem quidem viderit Abraham in spiritu et typo, quando filium litare volenti oblatus est aries inter vepres hærens. Ita enim in primis S. Amb. l. I. de Abraham, c. VIII. « Hunc (exaltatum scilicet in cruce Christum ait) Abraham in illo sacrificio, hujus passionem prospexit, et ideo ipse Dominus de eo dixit: Abraham vidit diem meum; vidit et gavisus est. Quam etiam ob causam vocavit Abraham nomen loci illius: *Dominus videt*, ut dicatur hodie: Dominus in monte apparuit. » Similiter S. Chrys. hom. LIV. in Joan. « Diem autem meum, inquit, hoc in loco crucem mihi significare videtur, quem in arietis oblatione et in Isaac præfiguravit. » Arsentium ib. Leontius, Theophylactus, Euthymius, Prosper, lib. de prædict. pag. I. c. XVII. alique. Sed qua ratione dicit aliquis illum diem appellat *suum*? Omnes dies quidem fecit, adeoque suos dicere poterat; verum quis nescit ea nos peculiari ratione nostra dicere, quæ præ cæteris amamus vel æstimamus? Suum equum, suum lectum, suum cochlear dominus appellat, quo solus ipse utitur aut delectatur. Ita sponsus diem nuptiarum suarum suum vocat, agricola diem messis, mercator diem solutionis, victor diem victoriae suæ, etc. Pari ergo ratione quia dies passionis Christi a rebus in ea gestis nobilis atque insignis fuit, jure *diem suum* appellare potuit; et quidem variis rationibus, ut videbimus.

I. Fuit dies desponsationis ejus cum Ecclesia per sanguinis effusionem ipsi desponsa. Ita loquitur sponsa de ipso, Cant. III. *Egredimini, filie Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis illius*. Nusquam legitur Salomon coronatus esse a matre sua, proinde non ad ipsum, sed ad Christum hæc refe-

renda sunt. Ergo sicut sponsalia præcedunt ipsam desponsationem et nuptias, ita Christus in die incarnationis suæ despondit quidem sibi Ecclesiam, sed (quod olim moris erat) nondum parato pretio coemit ac duxit. Anno igitur trigesimo quarto ab incarnatione, et ultimo vitæ suæ, redeunte eadem 25. die martii (qua ante triginta quatuor annos carnem assumpserat, ut docet S. Aug. l. IV. de Trinit. c. IV. Epiphanius, hæc. LXXVIII. et LXXIX.) coronatus est a matre sua synagoga, a Judæis videlicet, spinea corona; ubi et moriens in cruce solvit pretium redemptionis nostræ, tumque Ecclesiam, id est, nos fideles in actu quasi perfecto sibi coemit et copulavit. Non sane vulgaris fuit hæc desponsatio et annexa illi celebritas nuptialis. Sponsus enim erat Dei Filius, speciosus forma præ filiis hominum: sponsa vero genus humanum velut Æthiopissa nigra et deformis; cujus personam quasi gessit velut procurator, latro in cruce conversus, et Christo in paradisi thalamo copulatus; pretium emptionis erat mors sponsi; paranymphi carnifices; mensa nuptialis convivii crux; cibus et potus, fel et acetum, juxta id Psal. LXVIII. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*. Musica erant contumeliæ et opprobria, quibus in cruce derisus est: vestis purpurea erat sanguis sponsi, totum corpus ejus profundens; annuli erant clavi, manibus infixi; sertum nuptiale corona spinea. Quis unquam tales nuptias vidit? Nonne merito Christus dicere potuit, diem hunc desponsationis suum fuisse? Quis enim alius tales contraxit, vel contraheret nuptias? Et tamen his non defuit sua, et quidem ingens lætitia, et merito etiam appellatæ sint *dies lætitiæ ejus*, quia hac sua misera quidem et miserabili desponsatione, sponsam suam prius nigram, rugosam, fœdam ac deformem, ubi sanguine suo abluit, reddidit atque exhibuit sibi non solum mundam, sed etiam *gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut esset sancta et immaculata*, ut ait apostolus ad Ephes. V. Quæ etiam causa est, cur dixerit Dominus Abraham exultasse, ut videret diem hunc, vidisse et gavisum esse, non ob dolores sponsi scilicet, sed ob salutem sponsæ per illos comparatam.

II. Fuit dies redemptionis, in qua Christus emit ac redemit captivum genus humanum. Quo sensu loquitur apostolus ad Ephesios, c. IV. § XXX. cum ait: *In quo (Spiritu Sancto) signati estis in diem (seu ut aliqui legunt in die) redemptionis*. In baptismo scilicet, velut diem redemptionis ejusque particulari: nam dies redemptionis universalis et radicalis fuit dies passionis Christi, quo ipse

Patri numeravit lytrum redemptionis pro captivo homine, e potestate dæmonis, velut ministri justitiæ divinæ ultricis, liberato, perferens in corpore suo pœnas nobis debitas. Porro quia pœna correspondere et proportionari culpæ debet, ut puniatur reus in eo, in quo deliquit, hoc etiam Christus subiit. Deliquerunt primi nostri parentes eorumque posterii per superbiam: ideo voluit Christus cum esset Dei Filius, ab hominibus, angelis, et creaturis adorandus, fieri despectus et quasi leprosus ac novissimus virorum. Hoc est, contemptissimus ut prædixit Isaias, capite quinquagesimo tertio. Voluerunt nostri parentes similes esse Deo: ergo Christus voluit reprobari, velut pejor homicida Barrabba et latronibus, in eorumque medio velut malefactorum antesignanus crucifigi, in cruce derideri et subsannari. Deliquerunt et delinquent homines avaritia, affligendo cor divitiis, concupiscendo et rapiendo aliena; ideo Christus voluit exinanire semetipsum, fieri omnium pauperrimus, spoliari etiam vestibus, et nudus in crucem tolli, nec habere ubi patiens et moriens caput reclinaret. Delinquent homines luxuria et carnis voluptate, qua sine omni verecundia peccant in corpus suum; proinde voluit Christus toto suo corpore flagellis concidi, spinis et clavis configi, per omnia sua membra doloribus cruciari et sanguine cruentari. Delinquent invidia et iracundia; voluit ergo in summis injuriis, falsis accusationibus et cruciatibus, quasi agnus obmutescere, injustissimam mortis sententiam silens excipere et iudicium sustinere: insuper injurias remittere, pro inimicis suis orare, gratiam et regnum suum offerre, et vero etiam communicare pœnitentibus. Delinquent gula et ebrietate quare ipse voluit saturari opprobriis, sputis et alapis, felle et aceto potari, intolerabilem sitim pati. Delinquent acedia et pigritia: unde voluit ipse crucem sibi bajulare, in cruce continuo orare, inimicis patrocinari, afflictos solare usque ad ultimum vitæ spiritum. Quis unquam tale lytrum vel pro sua vel aliorum redemptione dedit? Et hoc est, quod apostolus ad Hebræos, c. IX. ait: *Oblatus est ad multorum* (hoc est, omnium) *exhaurienda peccata*. Calicem enim illum, plenum spinis, flagellis, sputis, alapis, clavis, felle, aceto, cruore, nobis alioquin debitum, ipse exhausit.

III. Fuit dies commotionis qualem meminit Amos, capite primo, ubi Dominus excidium Ammonitis minitans, ait: *Succendam ignem in muro Rabba* (metropoli Ammonitarum) *et devorabit ædes ejus in ululatu, et in die belli et in turbine, in die commotionis*. Dies commotionis fuit dies passionis Christi, qui in ea commovit cœlum et ter-

ram, necnon et mare (hoc enim unum cum terra globum efficit: proinde hac concussa, et ipsum exæstuarè, furere et exundare debuit) denique mortalium omnium corda per eclipsim universalem et supernaturalem: cæteraque prodigia, juxta prædictionem Aggæi, c. II. dicentis: *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes*. In quæ verba S. Ambr. sub finem tomi secundi, ait: « Movit (Deus cœlum et terram) in passione Domini Jesu, quando cœlum tenebris obductum sol refugit, petrae scissæ, tumuli aperti, mortui resuscitati. Draco victus in fluctibus suis vidit pisces hominum non solum navigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus in messem cœpit devotionis et fidei flavescere, etc. » Adde Judæos, tum qui in civitate erant, quando velum templi scissum viderunt, tum qui adstabant cruci Domini, et percutientes pectora sua revertebantur, Lucae vigesimo tertio. Centurionem quoque gentilem, et qui cum eo erant, Matthæi vigesimo septimo. Latronem etiam alterum, quorum omnium corda visis prodigiis commota et perterrita, multa etiam omnino conversa et ad pœnitentiam scissa sunt: aliquorum autem postea primum post missionem Spiritus Sancti, ubi maximo numero compuncti et conterriti dicebant apostolis: *Viri fratres, quid faciemus?* Actorum secundo. Denique exteræ etiam longæque dissitas nationes illa partim eclipsi, partim terræ motu concussas ac tremefactas esse ostendit sua confessione Sanctus Dionysius, qui visa miraculosa et insolita solis defectione dicitur exclamasse: *Aut Deus natura, mundi auctor, patitur; aut mundi machina dissolvitur*: Phlegon gentilis historicus, qui præter eclipsim illam horribilem (qua stellas cœli sub meridie apparuisse ait) etiam terræ motum in Nicæa Bithyniæ multas ædes subvertisse scribit, apud Eusebium in chron. ad annum trigesimum tertium. Videtur ergo ignis ille quem dixit Amos immittendum Rabbæ, Ammonitarum metropoli, ad subvertendas ejus ædes, præludium et typus fuisse hujus commotionis factæ inter gentiles. Sic enim et Luc. XII. prædixit Dominus: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Quid enim illa prodigia, nisi quidam ignis erant terrore homines corripiens et ad pœnitentiam inflammans? Narratur equus ferox et indomitus cum leone commissus, capite in angulum abdito, calcibus rugientem in se leonem prostravisse quidem et occidisse: aspectu tamen et rugitu leonis in duello illo perterritus fero-

ciam posuisse, ac deinceps fræna et sessorem admisisse. Refert pater Cornelius, in capite XXII. Proverbiorum. Equo huic similes erant Judæi, qui calcibus impetere et occidere Christum, in eo tamen duello rugitu et prodigiis ejus terri ac compuncti sunt non pauci, dederuntque tandem manus Christo.

IV. Fuit dies ostensionis, qua mundo ostendit divinitatem et potentiam suam: qua ratione Sanctus Lucas, c. I. ait: Joannem fuisse in desertis usque ad diem ostensionis suæ; qua scilicet prodiret e deserto et ostenderet sua sanctitatem et sapientiam divinitus sibi tradita se esse prophetam et præcursorem Christi, quasi angelum ipsi præmissum. Consimili enim modo Christus prius nullum de cœlo signum edere voluit, nec aperte omnibus manifestare suam divinitatem, id in passione et morte ac præsertim consequente eam resurrectione clare et efficaciter ostendit. Unde Joan. VIII. dixit eis: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*; Messias scilicet et Dei Filius. In Christi enim morte visis tot miraculis ac prodigiis in cœlo, terra et inferis ac sepulchris, quæ mortalium nemo edere potest, clarius quam unquam agnoscere cœperunt plusquam hominem fuisse, unde aliqui dicebant: *Vere Filius Dei erat iste*. Antequam exaltaretur Christus in crucem, erat quasi lucerna humi vel inter homines vel sub lecto posita, nec adeo manifestum dabat divinitatis suæ splendorem; at in cruce velut in candelabro positus, quando ipsum solem sua potentia obfuscavit, toti orbi innotescere cœpit. Ostensa vero jam divinitate sua, ostendit consequenter immensam gloriam in ipsa summa abjectione, qua videlicet non coactus, sed sponte sua pateretur, et quidem pro illis etiam, a quibus patiebatur. Unde Sanctus Chrysost. homil. undecima in id Joannis, *Vidimus gloriam ejus*, ait: « Neque miraculorum gratia Christum dumtaxat admiramur, sed et passionis, cum affixus est cruci flagellis et alapis cæsus et insputus ab his, de quibus tam bene merebatur. Siquidem in his ipsis, quæ probris et ignominia plena esse videbantur, ipsum rursus Verbum clarissimum apparuit, hoc Joannes gloriam appellavit. Non enim charitatis solum et amoris fuerat, sed immensæ etiam virtutis. Tunc enim mors abolita est, maledictum periit, dæmones confusi sunt, et de illis triumphatum est, et chirographum cruci affixum. » Sic illa illustrat hanc Dei gloriam immensa ejus bonitas, qua ob amorem hominum tanta et tam indigna pati, cum esset Deus, voluit, ut nemo eam unquam satis admirari queat. Magnopere miratus fuit Moyses, quando vidit Deum in monte Sinai des-

cedentem et humana voce cum hominibus agentem: idque admirabundus populo exposuit dicens: *Interroga de diebus antiquis, etc. si facta est hujusmodi res, aut unquam cognitum est, ut audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis sicut tu audisti et vidisti*, Deuteronomii quarto. At quanto plus est Deum, non in splendore, sed in summa humilitate descendere ad ignominiam et squalorem crucis hominum causa? Maximi fecit Deus, quod Abraham amore ipsius filium unigenitum immolare paratus esset, Gen. XXII. *Quia fecisti hanc rem et non pepercasti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*. At quid hoc respectu facti illius, quo non servus in gratiam Dei et Domini sui, sed Deus in gratiam servorum Filium suum unigenitum immolare voluit, immolavit et quidem morte tam crudeli!

V. Fuit dies prælii, qualis refertur Oseæ X. quando Gedeon delevit prælio Madianitas cum duce eorum Salmana, *Sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui judicavit Baal in die prælii*, hoc est, sicut Gedeon cecidit Salmana idololatram et principem Madianitarum, hostem populi Dei, ita Salmanasar cædet Israelem, ob idola, quæ coluit in Bethel. Porro prælium Gedeonis cum Madian typum fuisse prælii, quod cum hoste generis humani Christus in passione iniit, testis est Isaias, capite nono: *Sceptrum exactoris ejus, inquit, superasti, sicut in die Madian*. Gedeon superavit Madian, confringendo fictilem lagenam suam, eaque contracta demonstrando lampadem in ea latentem atque ardentem, tubam denique inflando. Christus superavit dæmonem, quando lagenam corporis sui confringendam obtulit Judæis, interim ostendit admirandam et plusquam humanam patientiam, qua velut agnus eorum tondente se obmutuit, nec ulla ratione ad se defendendum, aut vindictam de hostibus sumendam, vel provocandam ad Cæsarem, aut mortem suam amoliendam, permoveri potuit. Non ergo aliis armis, nisi patientia et silentio Christus pugnavit ac triumphavit. Si enim se defendisset, si impatientem se monstrasset, si mortem suam impedisset, salutem nostram perdidisset, et dæmon triumphasset, qui propterea ipsum velut Sanctum Job variis modis et injuriis aggressus est, ut ad impatientiam aut verbum saltem aliquod maledicum provocaret. Substantiam quidem terrenam, quam auferret, non habebat; vestes tamen abstraxit, ut nudum ludibrio exponeret; deinde percussit eum flagris ac spinis, quasi ulcere pessimo, ita ut in toto ejus corpore nihil esset vacuum a dolore, ideoque *vir dolorum* appellaretur ab Isaia, capite LII. De-